

pariter ac Fridericiana Academia docuit, in Angliam, ut Concionatorem *Georgii*, Principis, aulicum, ageret, arcesitus: **LV-DOLPHVS FRIDERICVS WEISSE** (124), Philosophiae in Academia

H 2

mia

*cesit Concio CHRISTI montana Matth. V, VI, VII, Epistola Cl. ANASTASII, Graeci, & Syllabus vocum vsitatorum. Ien. 1705. 8. Dedicatio ad D. SEBAST. GERCKENIVM his, inter alia, instructa est verbis: Forte iam alium a me, Stipendii Schabbeliani legibus magis convenientem, h. e. qui ad Theologiam propius accederet, laborum expectabas fructum, quem literis quoque aliquando subindicaveram. Et profecto spem illam implevissem, nisi mira DEI providentia advenientibus quibusdam Graecis, raris omnino in Academiis Germaniae hospitibus, inserviendi, simulque linguam eorum, quae πρὸς ἡν audit, discendi perquam opportuna occasio fuisset oblata, quam e manibus ut dimitterem, nulla causa, nullum urgebat impedimentum. Neque enim istud studium, praesertim, cum Theologiae culturam haud neglexerim, Tibi displicere, sed potius a Te approbari, sentio. Causa in promptu est. Nam si aliae linguae, velut Gallica, Anglica & Italica, a Theologiae cultoribus perceptae, tanquam ornamenta sanctioris studii laudantur, haec sane tantum abest, ut posterior illis habenda sit, ut potius reliquas omnes, si fontes excipimus, multis parasangis superet, quae propter perspicuam N. Testamenti versionem tantum lucis ad cognoscendam penitus antiquam phrasin confert, quantum nulla quidem alia; adeo, ut cum ipsa translatione Syriaca non antiquitate, sed utilitate certare videatur, et rel.*

(124) Luneburgensis, D. GODOFREDI WEISSE, Superintendentis apud Luneburgenses meritissimi, filius. Defendit praeside DAV. HENR. KOEPKENIO, Στρωμαίων Θεολογούμενων de Revelatione Divina per res intellectu carentes, easque artificiales, Decades quinque, Rostoch. 1715: Auctor-Respondens, praeside IOANNE CHRISTOPHORO WICHMANNSHAVSEN, Commentationem de Calceo in Ebraeorum Sacris deponendo, ad illustrandum com. 5. Cap. III. Exod., Wittenb. 1721: praeside ION. CONR. SCHRAMMIO, Disputationem Theologicam Exegeticam de Diffis Veteris Testamenti in Vet. Testamento repetitis, Helmest. 1723. Ipse Praefes Wittenb. 1721. habuit de Coecis & Claudis Iebusaeorum, ad normam 2. Sam. V. 6. 7. 8. Dissertationem Philologicam, quam GEORG. HENR. GERCKENIO, Schabbeliani, repeto ipsius verba, Beneficii Directori atque Ephoro fidelissimo, dedicavit, sic, inter alia, cum allocutus: *Tuum est beneficium, quod studiis Academicis in Alma hac Leucorea per quadriennium, & quod excurrit, quantum quidem ad externa pertinet subsidia, feliciter incumbere, animumque*

numque